

crepent an omissio actus spiritualis pro temporali pretio simoniae crimen involvat, pro ejusdem elucidatione refert Giraldus, *Expos. jur. pontif.* part. I, sect. 759, quæ a Gonzalez subjiciuntur, ibi :

« Circa actum spirituale, omissum pro temporali pretio, non consentiunt interpretes an simonia sit vel non, in eo casu simoniam committi probari videtur in hoc textu (cap. *Nemo 14*, h. t.), cujus auctoritate docuerunt in pura omissione actus spiritualis pretio aut favore simoniam committi Glossa, Panormitanus, Felianus et Paladanus in 4, distinct. XXV, quæst. 5. Contrariam vero sententiam videlicet nec committi vere sed improprie simoniam, secundum quamdam similitudinem, existimant Innocentius, Hostiensis et Joannes Andreas, Victoria relect. 2, de *Simon.* Aragon. 2, 2, quæst. C, art. 1, Bisfeldius in præsentibus, qui textum hunc accipiunt de simonia similitudinaria et impropria.

» Sed hanc quæstionem, variis distinctionibus ductis, explicant Barbosa hic, Gibalinus, de *Simon.* quæst. VI, consecrar. 12, juxta quorum doctrinam sciendum est Alexandrum III in præsentibus duas suæ decisionis partes proponere.

» In priori parte duos decedit casus. Primus videlicet est quando presbyter, id est parochus, aliquid emolumentum temporale recipit a publico peccatore ut episcopo vel ejus vicario celet peccatum illius. Secundus cum ipse, propter consanguinitatem vel familiaritatem alicujus, ejus peccatum celat ne notescat, quibus casibus certum est presbyterum peccare contra officium, justitiam et charitatem. Unde turpiter accipi pretium pro fure non revelando, aut servo fugitivo non indicando, docetur in L. 4, § 1, ff. *De conduct. ob turpem.* Attamen his duobus casibus nulla proprie committitur simonia, nisi in tali occultatione utatur parochus aliqua potestate spirituali.

» In secunda parte deciduntur ab Alexandro alii duo casus. Primus est cum presbyter peccatorem non vere poenitentem, propter gratiam et favorem, ad reconciliationem admittit ut ita testimonium reconciliationis ferat. Secundus cum ipse parochus, propter favorem aut odium, remouet a reconciliatione poenitentem. Quibus duobus casibus vere simonia committitur, cum potestas spiritualis exerceatur aut omittatur ob pretium aut favorem. Unde illa verba Alexandri « quia simoniacum est » utrumque » ad hos duos casus in secunda parte relatos referunt Suarez, lib. IV, *De Simonia*, cap. xxii, n. 14; Barbosa hic n. 2.

» Et si adhuc instes ad totam constitutionem referenda esse prædicta verba, supponendum est in prioribus casibus, ultra omissionem, intercessisse exercitium aliquod spiritualis potestatis, ut docuit Gibalinus supra, consecrar. 3, qui inde infert resolutionem ad varios casus in quibus, propter omissionem actus spiritualis, simonia committitur.

» Sanctus Thomas in *Summa theologiae*, quæst. C, art. III, ad 3, sentit esse simoniacum, ibi : « Et

» propter hoc non licet pro quacumque dispensatione aliquid accipere, nec etiam pro hoc quod vices suas committant, nec etiam pro hoc quod subditos suos corrigant vel a corrigendo desistant. » Quoad duos secundos casus idem sentit hic Maschat. *Instit. canon.* § I, n. 12.

## ADNOTATIO VII.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § IX, n. 184; pag. 171.*

## DE TEMPORALI DATO PRO SUSTENTATIONE NOVITIUM ET DE DOTIBUS MONIALIUM.

« Licet ex decretali *Sane*, cap. 1, huj. tit. in *Extrav. comm. novitius gratis* in omnibus admittendus sit ad habitum, hodie tamen ex declaratione concilii Tridentini, cap. xvi, sess. XXV, *De regular.* certum est exigi posse quantum sufficiat ad illius victum et vestitum, sive monasterium sit inops, sive locuples, cum concilium indistincte et absolute id permittat, ibi : « Sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiæ illius temporis quo in probatione est, quocumque prætextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur.

» Quod autem spectat ad receptionem monialium, ex SS. Congregationum declarationibus per Summos Pontifices approbatis, hæc eadem decretalis locum amplius non habet, licet monasterium sit locuples, etiam quoad ordinarium monialium numerum, ut ex declaratione Congreg. Episcop. et regular. refert Fagnanus in cap. *Non amplius, De institut.* n. 24 et 25, in qua, post propositam sibi difficultatem, ortam ex cap. *Quoniam, De simonia*, damnante simoniæ labis caractere moniales aliquid exigentes ab ingressura monasterium, eam solvit per hæc verba, ibi :

« Verum hanc difficultatem postea sustulit S. Congr. super negotiis episcop. et regularium quæ, animadvertens sanctimonialium monasteria sine dotium subsidio diu sustineri non posse et, propter ingruentes necessitates et casus inopinatos, plerumque ad inopiam redigi, Summis Pontificibus approbantibus, prudenter sanxit ut dotales elemosynæ a monialibus numeratis persolveretur, tametsi numerus esset taxatus ad mensuram reddituum monasterii. Ex penuria enim multa proveniunt mala, præsertim in monasteriis feminarum, ut inquit Hostiensis hic in fine jam citati can. *Si quis objecerit* 1, quæst. III. Nec obstat textus in dicto cap. *Quoniam*, nam, ut ibi respondet Glossa Joannis in verbo *Paupertatis*, si moniales ita pauperes sunt ut non possint aliquo modo ibi aliam recipere, quia non habent ibi victum, sub hac forma possunt recipere : Non habemus quid demus tibi pro victu nisi tu portes tecum unde vivas; dum tamen hoc non dicatur in fraudem, nec deducatur in pactum,

» arg. cap. *Si quis propter hoc* 1, quæst. II. Et quamvis Bernardus ibi, in fine ejusdem Glossæ, addat tutius esse ut nullo casu taliter aliqua recipiatur, tamen praxis quotidiana docuit id sine gravi monasterii detrimento servari non posse.

» Quare clare inferitur non esse simoniacum has dotes recipere, ut etiam expresse declaravit Congreg. concilii, sub die 14 april. 1725, in causa *Bononien.* tom. III *Thesauri resolut.* dictæ Congreg. pag. 154, per hæc verba :

« De hoc articulo actum fuit in hac S. Congr. anno 1683, editaque consultatione a Belgio transmissa satis ampla et luculenta, die 18 sept. ejusd. anni, in causa *Belgii subsidiorum dotium*, propositum fuit sequens dubium : cum in Belgio fuerit dubitatum an simoniacum sit recipere dotem solvendam pro victu, amictu, suppellectili et aliis necessariis ad sustentationem puellæ volentis ingredi monasterium, supplicatur EE. PP. pro hujusmodi dubii resolutione; et S. C. respondit non esse simoniacum, ut videre est lib. XIII *Decretor.* fol. 310 a tergo. » Et idem respondit in cit. *Bononiensi.*

» De hoc eodem articulo, postquam egregie disseruit Benedictus XIV, *De syn. diæc.* lib. XI, cap. vi, n. 5, refellendo contrarias auctorum opiniones et potissimum Van-Espen, cap. II, *Tract. de vitio simoniae*, circa ingressum religionis auctoritate præfatarum resolutionum, et ex decretis conciliorum Mediolanensium a S. Carlo Borromæo celebratorum, I anno 1565, part. 3, II anno 1569, cap. 2, hæc subdit n. 5 : « In hac opinionum varietate diu anceps hæserat Sacra Congr. concilii, et quandoque propenderat in Turonensium Patrum sententiam, sicut a Fagnano accepimus, sed, cum experientia didicerit nullum reperiri adeo opulentum sanctimonialium cœnobium quod, ad reparanda quotidiana suorum reddituum decreta, non egeat novarum dotium accessione, firmiter tandem amplexata est S. Caroli decreta, et eaque religiose observari voluit : quod non solum constat ex allegatis ejusdem decisionibus, sed adhuc clarius ex alia quæ refertur in *Bibliotheca Præmonstratensi*, pag. 356, cujus verba sunt : Non vestiantur moniales, nec admittantur ad habitum, nisi prius parentes, vel illi ad quos earum cura spectat, promptam habuerint pecuniam pro dote vel elemosyna consueta, et illam deposuerint solvendam monasterio post emissam professionem. »

» In hærendo postea laudatus Benedictus, quoad alia præter dotem, prohibitioni hujus Urbani V decretalis *Sane*, hoc episcopis salutare reliquit monitum n. 6, ibi :

« Illud autem curabit episcopus ne, ultra præfinitam dotem monasterio pendendam alia pecunie summa a puellis extorqueatur in monialium commodum, aliosve usus impendenda, qui ad puellæ sustentationem nequaquam pertinent; id quippe, cum nulla ratione honestari valeat, adhuc remanet sub censura *Extrav. I, De*

» *simonia*, inter comm. ubi Urbanus V utriusque sexus regularium monasteriis districtè inhibuit ne, ante aut post cujusquam in religione ingressum, quoscumque pastus, prandia seu cœnas, pecunias, jocalia aut res alias, etiam ad usum ecclesiæ seu quemvis vium usum alium deputatas vel deputandas, directe vel indirecte petere vel exigere quoquomodo præsumant. »

» Quomodo autem, et penes quem dotes deponi debeant, tradit cardinalis Petra in *Commentar. ad constit. XII Innocentii IV*, sect. I, n. 59, ibi :

» Istarum autem dotium, tam intra quam extra numerum, debet fieri depositum penes eadem sacram, vel saltem apud idoneam personam, et quidem effectivum in pecunia... alias teneretur episcopus, si actus invalidi esset conscius, ut resoluit S. C. episcoporum... et debere fieri in pecunia numerata, vel in cedula bancaria; nec sufficere si fiat in stabili, et censu. et obligatione, aut alia re, nisi cum licentia Sacræ Congregationis... In loco ubi non adest neque ædes sacra, neque publicus ac idoneus campus, ab ordinario vel monasterii prælato approbandus, debet poni in deposito monasterii cum duabus clavibus, una penes episcopum, et altera penes abbatissam, etsi agatur de monasteriis exemptis et subjectis regularibus... et, si fiat penes particulares campos, cura episcopi debet esse ut tuto collocetur, cum facillime eveniant collusiones et fraudes. »

» Et hæc quoad receptionem monialium intra numerum. Si vero recipienda sit monialis supernumeraria, ex decretis Congreg. episcoporum et regularium relatis a cardin. Petra, loco cit. n. 55, dos solvi debet duplicata. Si vero agatur de admissione puellæ in monasterium in quo jam admittæ fuerint duæ ejusdem sorores, tunc, ut refert Lucius Ferraris. *Prompta biblioth. v. Moniales*, art. II, n. 46 et seqq. « Dotem triplicatam solvit tertia soror, si numerus monialium sit minor nonaginta; si vero major, admittitur cum duplicata... si vero pater sit bene meritus etc... admittitur etiam cum dote ordinaria... »

» In *Bracnarensi* autem, 27 aug. 1616, sic rescribit S. C. episcoporum : « Aut tertia soror intra præfinitum monialium numerum in monasterium introducenda est, aut supra illum; si ut numerata ingredi voluerit, elemosynam totalem duplicatam monasterio persolvat, suffragioque tam activo quam passivo carebit, quousque altera ex duabus ejus sororibus e vita decesserit; si vero supra definitum monialium numerum admitti petierit, speciali hujus Congreg. licentia opus erit; quæ quidem concedi non solet nisi ex conditione ut ipsa tertia soror triplicatam elemosynam dotalem monasterio solvat, nec, reliquis ejus duabus sororibus simul superstibus, activo vel passivo suffragio gaudeat. »

» Sed notandum circa licentiam, de qua in hoc allato decreto, quod de stylo curæ, juxta laudatum Petram dict. n. 55, dari quidem soleat a præfata Congr. pro monialibus Italiæ et insularum

adjacentium, extra Italiam vero requiritur breve apostolicum. » (Giraldus, *Exposit. juris pontificii*, part. I, sect. 780.)

Mulieres corruptæ non admittuntur nisi de licentia S. C. episcop. et regular. et cum præfinitione augmenti dotis. (*Collectanea in usum secretariæ S. C. episc. et regul.* Romæ, 1863, pag. 6.)

In eodem libro, pag. 37, lege chirographum Clementis PP. XIII, anno 1759 datum, circa depositionem dotium puellarum monachandarum; pag. 269, Declarationem diei 6 sept. 1604, quomodo sint solvendæ eleemosynæ pro monialibus supra numerum recipiendis, et quando possint concedi vel promitti loca in monasteriis puellis habitum regularem suscipere volentibus; pag. 373, responsum datum mense junio 1701 in *Massilien.* pro admittenda tertia sorore et supranumeraria ad professionem.

Non erit supervacaneum hoc in loco inserere decretum sequens, die 12 novembris 1847 latum, scilicet: « Sanctissimus D. N. Pius PP. IX prospicere cupiens institutis monialium votorum simplicium, quæ in dies ubique augentur, hujus generalis decreti tenore benigne indulget ut moniales votorum simplicium dotalia subsidia, pro monialibus relicta, servatis tamen aliis de jure ac ex præscripto testatorum servandis, assequi possint et valeant; dummodo eorum instituta ab Apostolica Sede sint approbata, vota simplicia perpetua emittant, nec testatores expresse edicant subsidia dotalia concedenda dumtaxat esse monachandis in monasteriis, in quibus solemnia vota emittuntur; contrariis quibuscumque non obstantibus. » (*Collectanea in usum*, etc. pag. 131.)

## ADNOTATIO VIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § X, n. 213; pag. 178.*

## DE MISSA PRO POPULO.

Hic denuo legantur litteræ apostolicæ Pii PP. IX, diei 3 maii 1858, incipientes *Amantissimi Redemptoris*, quarum partes præceptivæ insertæ fuerunt sub Adnotatione XLII volum. V, pag. 699, una cum variis responsis e Sancta Sede circa materiam emanatis.

## ADNOTATIO IX.

*Lib. IV. Decretal. Tit. III, § X, n. 227; pag. 197.*

## CIRCA ELEEMOSYNAS MISSARUM.

Propositiones proscriptæ ab Alexandro PP. VII, die 24 septembris 1665:

« IX. Post decretum Urbani VIII potest sacerdos, cui missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, alia parte stipendii sibi retenta.

« VIII. Duplicatum stipendium potest sacerdos pro eadem missa licite accipere, applicando petenti

partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem; idque post decretum Urbani VIII.

« X. Non est contra justitiam præ pluribus sacrificiis stipendium accipere et sacrificium unum offerre; neque etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione, etiam juramento firmata, danti stipendium quod pro nullo alio offeram.

« XLIII. Annuum legatum pro anima relictum non durat plus quam per decem annos. » (18 mart. 1666.)

Addendum cum Giraldo et notandum I: « Quod, cum in responso S. Congr. ad dubium X caveatur sacerdotem, cui offertur eleemosyna major solita pro missa celebranda, teneri illam integram tribuere alteri sacerdoti, si huic forte eandem celebrandam committat, nulla parte sibi retenta, nullatenus mentio fiat pœnarum, contra transgredientem inflictarum, juvat referre tria excitata dubia super hoc eodem decreto coram Congr. concili, 5 julii 1664, in *Anconitana eleemosyna*:

« 1. An sacerdos illud transgrediens peccet mortaliter? 2. An muneri suo satisfaciatur? 3. An ad restitutionem teneatur? Ad quæ S. C. respondit: Ad primum peccare mortaliter; ad secundum negative in casu et ad effectum de quo agitur, hoc est, non satisfacit muneri suo quoad distributionem eleemosynæ, licet satisfaciatur quoad sacrificium missæ; ad tertium affirmative.

« Si autem quæras cui faciendæ sit restitutio, an sacerdoti celebranti? Dico faciendam esse huic, cum enim in hunc transtulerit onus celebrandi, transtulit quoque jus ad integrum stipendium, ac proinde hunc eundem læsit. Vide Matthæucci, cap. X, § XI, *Official. curiæ*, quoad celebrationem missarum, n. 49.

« Nota II. Quod cum in responso ejusdem S. Congr. ad dubium XI declaretur: Posse nova onera missarum manualium et quotidianarum recipi, licet oneribus jam susceptis non satisfactum fuerit, si intra modicum tempus possit omnibus satisfieri; nonnulli doctores hujusmodi temporis spatium protrahendum censuerunt ad duos vel tres menses; imo alii, et quidem nimis laxè, ad biennium et etiam ad triennium. Verum ex decreto Congr. concil. declaratum est restringi ad unum mensem, die 17 julii 1755, ut ex lib. XIX *Decretor.* pag. 497.

« Adverte tamen hoc decretum non posse habere locum, quoties onus posterius receptum adimplendum esset pro aliqua certa causa, v. g. pro præsentis infirmitate vel felici expeditione alicujus negotii et similibus, cum tunc esset contra claram committentis mentem; et sacerdos celebrationem differens peccaret mortaliter et teneretur vel post mortem dantis, vel post negotii jacturam, sub mortali eleemosynam restituere, quandoquidem si non ratione materiæ, ratione tamen finis in re gravi ipsum dantem defraudavit. » *Matth. Offic. cur.* cap. X, § II, n. 47. (*Exposit. jur. pontif.* part. II, sect. 67.)

Tandem hic inserendæ sunt litteræ apostolicæ Benedicti XIV, sub die 30 junii 1741, ad omnes episcopos orbis catholici directæ, scilicet:

« Quanta cura adhibenda sit ut sacros. missæ sacrificium, non solum cum omni religionis cultu ac veneratione celebretur, verum etiam ut a tanti sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta, et importunæ atque illiberales eleemosynarum exactiones potiusquam postulationes, aliaque hujusmodi, quæ a simoniaca labe, vel certe a turpi quæstu non longe absunt, e medio tollantur, nemo est ex catholicæ fidei cultoribus qui ignoret. Verum eo usque progressa est, sicut non sine ingenti cordis nostri mœrore undique accepimus, nonnullorum sive ecclesiasticorum, sive laicorum virorum avaritia, quæ est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia propter missarum celebrationem, juxta locorum consuetudines vel diocesanarum synodorum sanctiones, in subsidium alimentorum uniuscujusque sacerdotis dumtaxat, pro regionum opportunitatibus præscripta, colligant; missas vero celebrari curent alibi ubi eleemosynæ seu stipendia, quæ vel consuetudine, vel synodali lege, pro singulis missis attributa sunt, minoris pretii quam illic ubi accipiuntur darentur.

« Id quam absonum sit atque alienum ab ipsa, sive expressa, sive tacita, pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt. Nec aliter existimandum est; in illa enim potius missas esse celebrandas quisque vult ad quam, religionis et pietatis stimulis ductus, et eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane, veluti de mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum, non solum ab avaritiæ suspitione et vitio, verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas missas amplius offerendis sese abstineant.

« Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irreptentem detestantes Romani Pontifices prædecessores nostri, de consilio tum congregationis S. R. E. cardinalium Universæ Inquisitionis contra hæreticam pravitatem, tum Congreg. conc. Trident. interpretum, decretum voluerunt nimirum, a quolibet sacerdote stipendio seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione missæ a quocumque accepta, non posse alteri sacerdoti missam hujusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti, missam celebranti et consentienti, se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset....

« Quoniam autem ita compertum est ut, præsentis pœnæ metu, salutaribus monitis facilius obtemperetur, per edictum in vestris diocesisibus proponendum affigendumque, universis notum facite quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia ma-

joris pretii pro missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines, vel synodalia statuta exigunt, colligens, et missas, reteuta sibi parte earundem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem, sive alibi, ubi pro missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynæ tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu sæcularem, præter alias arbitrio vestro irrogandas pœnas, excommunicationis pœnam, clericum vero, sive quemcumque sacerdotem pœnam suspensionis ipso facto incurrere, a quibus nullus per alium, quam per nos ipsos, seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit.... »

Sed quid de pœnis, in præcedenti constitutione latis, in locis ubi ordinarii edictum de quo supra non condiderunt? Respondendum videtur quod in prædictis locis illæ pœnæ neminem obligent, ex defectu scilicet promulgationis, quæ in casu præsentis ordinarii præfatis, de Pontificis expressa dispositione, commissa fuit.

Cf. DD. Chaillot opus cui titulus: *Du commerce des messes et des livres*, Parisiis, apud Ludov. Hervé, 1866. Item litteras a RR. DD. episcopo Montis-Albani in Gallia, anno 1868 datas, quas videre est in ephemeride *Revue des sciences ecclési.* anno 1868, fascic. XI. Item vol. V Adnotationem XLVII, pag. 710, ubi de bina missa quoad prohibitionem percipiendi duplicem eleemosynam.

## ADNOTATIO X.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § X, n. 227; pag. 197.*

DE VARIIS EMOLUMENTIS ILLICITE VEL LICITE PERCEPTIS ET DE FICTO PATRIMONIO AB ORDINANDIS ALLEGATO.

Constitutio S. Pii V, 2 januar. 1570, *Quam plenam*, prohibet publicationem indulgentiarum et confessionum ad quæstum; attentantesque licentiam impertiri solventibus pecuniam, sub prætextu causæ piæ eligendi confessarium cum facultate absolvendi a casibus reservatis, si episcopi sint, etiam cardinales, incurrunt suspensionem seu interdictum ab ingressu ecclesiæ, eisque interdicuntur perceptio fructuum suarum ecclesiarum, donec a Papa absolvantur, satisfactione præmissa; his vero inferiores excommunicationem Papæ pariter reservatam. Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 765.

Quoad exequias, in cap. *Ad Apostolicam* hoc titulo 42, Innocentius III statuit ut, si qua laudabilis consuetudo vigeat offerendi aliquid a fidelibus pro iisdem, ab episcopo compescantur qui eam malitiose mutare nituntur. Cum autem hodie nedum hujusmodi consuetudo servetur, sed etiam taxatum fuerit quantum ecclesiæ tumulanti solvendum sit, hujus taxationis causam reddit Van-Espen, parte II, tit. XXXVIII, cap. IV, n. 40, *De*

*sepulturis*, ibi: « Postquam autem decimæ personales desierunt, et decimæ reales ac mixtæ sensim ad monasteria et capitula canonicorum devolutæ fuere, necessitas quodammodo coegit consuetudines has offerendi stabilire, ipsosque laicos quasi constringere ad ipsas oblationes hactenus consuetas ut parochorum et ecclesiarum parochialium necessitatibus provideretur, creditumque fuit æquum esse proprio pastori tam pro officio exequiarum, quam reliquis caritatis officiis defuncto, vita ejus durante, impensis, debitum honorarium post mortem præstari. » Cf. Adnotationes XXXIX et XLI, volum. IV.

« Pro ipsamet nuptiarum benedictione nihil accipi potest; attamen quod sponte offertur in donum tali occasione licite accipitur in elemosynam, vel tanquam extraordinarium emolumentum, pia offerentium consuetudine inductum, in sustentationem parochi benedicentis, cum acceptatio taliter facta nullibi prohibita inveniatur; ac libera et spontanea hujusmodi traditio, a sponsis aliisque tali occasione facta, non sit in benedictionis pretium, neque ex pacto sed ex pia tradentium voluntate, ut docent Barbosa in cap. *Ad Apostolicam* 42, hoc tit. aliique in numeri post ipsum. Proindeque, ubi viget consuetudo taliter dandi et accipiendi, licite servari potest, imo laudabilem ac observandam dicit expresse Innocentius III, eodem capite, hujusmodi consuetudinem. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 769.)

« In cap. 43, *Ne Dei Ecclesiam*, hoc tit. tanquam simoniacum prohibetur episcopis quidquam exigere pro benedictione impertienda abbatibus ordinis Cisterciensis, quod idem jam prohibuerat Innocentius III, in favorem abbatum ordinis Præmonstratensis et abbatis S. Maglorii Parisiensis, ut hic refert Gonzalez. Qui favor, ex constitutione Benedicti XIII, *Commissi*, 6 maii 1725, extensus est ad abbates cujuscumque ordinis, prohibentis episcopis sub pena interdicti per annum ab usu pontificalium, tam ante quam post benedictionem, receptionem cujuscumque muneris, etiam comestibilium; ac insuper solemnem pompam quæ sumptus, quantumcunque modicos, etiam prandii, secum ferat. Eadem prohibitio in ea facta legitur quibuscumque eorum officialibus, assistentibus et ministris. (Giraldus, part. I, sect. 777.)

» In decretali *Jacobus* 44, hoc titulo, reprobat consuetudo exigendi prandium a canonico noviter recepto, prohibeturque capitulo partem præbendæ illi debitæ loco denegati prandii sibi retinere. Et merito quidem, cum hæc convivia neque in ecclesiæ aut sacrarii beneficium, nec in usus pios cedant, sed privatorum voluntati duntaxat deserviant, contra prohibitionem innovatam a Tridentino sess. XXIV, de reform. cap. 14.

» Verum cum admodum difficile sit receptos usus penitus abolere, ubi præsertim ab immemorabili tempore vigeant, non semel congregatio concilii rescripsit tolerari posse immemorabilem

consuetudinem quod novus canonicus suos concanonicos convivio excipiat, dummodo id sponte faciat, moderatæque frugalitatis leges observet, ut videre est tom. IV *Thesaur. resolut.* ejusdem congregat. pag. 140, ubi referuntur similes resolutiones in *Burgen*. 3 sept. 1728 et in *Leodien*. 18 julii 1733. » (Giraldus, *ibid.* sect. 778.)

Cf. Adnotationem XV volum. quarti, pag. 653.

Ad fictum patrimonium quod spectat, ex constitutione Urbani VIII *Secretis*, 11 decembris 1624, ultramontani seu exteri facientes se promoveri in Italia ad ordines sacros ficto, vel fiduciario, aut falso patrimonii titulo, incurrunt pœnam perpetuæ suspensionis, absque spe dispensationis a sede apostolica obtinenda, ut § III, ibi:

« Cum autem non sine gravi animi nostri molestia nobis innoterit quamplures ultramontanos, suæ salutis immemores, Deique timore postposito, ad ordines prædictos cum dimissorialibus litteris, seu etiam cum titulo patrimonii ficto, vel fiduciario, seu etiam falso, cum maximo honorum omnium scandalo se promovendi fecisse, nos... venerabilibus fratribus Patriarchis, archiepiscopis et episcopis in Italia existentibus, tenore præsentium prohibemus ne, quovis prætextu et ex quacumque causa, Hispanos, Lusitanos, Gallos vel Germanos, aliosque quoscumque ultramontanos, et ex quibusvis locis extra Italiam oriundos, non solum ad sacros sed neque etiam ad minores ordines vel clericalem characterem promovere audeant seu præsumant, nisi dimissoriales suorum ordinum litteras a nostris et hujus Sanctæ Sedis nuntiis seu collectoribus in illis partibus commorantibus recognitas, probatas et subscriptas habeant, eorumdem nuntiorum seu collectorum subscriptiones a dilecto filio nostro in alma Urbe vicario in spiritualibus generali similiter examinatæ, recognitæ et approbatæ fuerint; alias promoventes, ad annum ab exercitio pontificalium, promoti vero perpetuæ suspensionis pœnam, absque spe dispensationis a Sede Apostolica obtinendæ, incurrant eo ipso. Insuper promotos hujusmodi, ac etiam eos qui cum falsis, vel fictis, aut fiduciariis patrimonii titulis scienter se ad ordines hujusmodi promoveri fecerint, non solum prædictis, verum etiam majoribus arbitrio nostro, et pro tempore existentis Romani Pontificis, infligendis pœnis plectimus. » Cf. Concil. Trident. sess. XXI, de reform. cap. 2.

Cf. Giraldum *Exposit. Jur. pontif.*, part. I, sect. 779, ubi discutiuntur varii casus ad materiam simoniæ plus minusve respicientes, scilicet de clerico qui, ut ordinari possit, ecclesiæ rectori promisit nunquam in ecclesia sua, ad cujus titulum fuerit ordinatus, se aliquam portionem petiturum, cap. *Si quis*, hoc titulo; de illo qui ficto accommodat ordinando titulum sui beneficii, aut ei vere beneficium resignat cum occulto pacto retrocessionis beneficii; de illo qui constituit promo-

vendo patrimonium cum pacto fiduciario de retrocedendo patrimonio, vel fructibus illius; tandem de constitutione patrimonii ficta et simulata.

## ADNOTATIO XI.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § XIII, n. 519; pag. 215.*

AN LICEAT ALIQUO PRETIO TEMPORALI REDIMERE PACIFICAM BENEFICII POSSESSIONEM?

Docent canonistæ, inter quos Fagnanus ad cap. *Nobis* 27, hoc titulo, n. 104 et 105, non esse simoniacum dare aliquid temporale ad redimendam vexationem super beneficii pacifica possessione, idque probat nedum ex Glossa, sed etiam ex auctoritate S. Thomæ qui, 2, 2, quæst. C, art. II, ad quintum hoc habet: « Antequam alicui acquiratur jus in episcopatu vel quacumque dignitate, vel præbenda, per electionem, vel provisionem seu collationem, simoniacum esset adversantium obstacula pecunia redimere; sic enim per pecuniam pararet sibi viam ad rem spiritualem obtinendam: sed postquam jus alicui acquisitum est, licet per pecuniam injusta impedimenta removere. »

« Hæc D. Thomæ sententia, inquit Giraldus, quoad secundam partem, magis roboratur ex facto S. Gregorii Magni, jam in pontificem electi, qui pecuniam solvit Mauritio imperatori ne ab ipso injuste impeditur a sui muneris exercitio, de quo ita Baronius ad annum Christi 590, ibi: « Etsi pendenda ab ipso Gregorio fuerit imperatori eadem pecuniæ quantitas, quæ a prædecessoribus, Gothorum temporibus, exacta est, haud tamen in crimen adduci potuit, quasi redemptum pecunia pontificatum obtinuerit; etenim electio, ut dictum est, legitime facta illi contulit pontificatum, non imperatoris confirmatio tyrannice usurpata, quæ pecunia licite redimi potuit, cum non redimeretur ex ea pontificatus sed executio muneris, eo modo quo aliter liceret ab illata vexatione se liberare. »

« Hæc inspecto jure communi. Verum si agatur de obtinenda gratia vel justitia apud Sedem Apostolicam, etiam super jure quæsito, sive petitio sit de re spirituali, sive temporali et mixta, ex constitutione Alexandri VII, *Inter gravissimas*, 2 maii 1656, interdictum est redimere vexationem quidquam dando, quantumvis minimum, sub pœnis in eadem constitutione contentis. » (*Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 768.)

Cf. Adnotationem III, supra.

## ADNOTATIO XII.

*Lib. V. Decretal. Tit. III, § XIV, n. 355; pag. 215.*

AN EPISCOPUS POSSIT ABSOLVERE ET DISPENSARE IN MATERIA SIMONIE?

« Limita, inquit Thesaurus, de *Pœnis*, cap. IX, verbo *Simonia*, quod episcopus non possit quidem

absolvere, neque dispensare cum simoniaco promotio scienter, vel cum ignorantia crassa vel supina, sed bene possit cum simoniaco omnino ignoranter promotio, scilicet quando tertius, eo ignorante, pecuniam dedit. Quamvis enim etiam hoc casu promotus sit suspensus, secundum communem sententiam canonistarum et summistarum per cap. *Si quis a simoniaco* 4, quæst. I, tamen episcopus potest cum tali dispensare ex cap. *De simoniace* 22, *De Simonia*. Et ita distinguunt et docent ibi Glossa verbo *Remanere*, et canonistæ communiter et plurimi quos allegat Sanchez, *Opusc.* lib. II, cap. III, dub. 120.

» Quod tamen limitant communiter doctores, dummodo episcopus ipse non sit complex super illa simoniaca ordinatione, ut apud Sanchez n. 14, licet ipse, n. 15, cum Navarro teneat etiam tunc posse dispensare. Addit Sanchez, dub. 104, n. 46, esse valde probabile promotum simoniace omnino ignoranter, ex ignorantia invincibili, sed non crassa, nec supina, non esse ipso jure suspensum neque irregularem, et hoc tenent multi canonistæ quos ipse allegat *ibidem*. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.*, part. I, sect. 764.)

## ADNOTATIO XIII.

*Lib. V. Decretal. Tit. IV, Ne Prelati vices suas vel ecclesias sub annuo censu concedant, n. 5; pag. 219.*

DE LOCATIONE CANCELLARIE EPISCOPALIS ET FUNDORUM ECCLESIASTICORUM.

« Neque vendi, neque locari potest cancellaria episcopalis, sed exerceri debet a propriis episcopi ministris, et quidem juxta taxam Innocentianam quoad emolumenta percipienda, cujus exemplar asservandum est in unaquaque cancellaria, quin ulla pars dictorum emolumentorum cedat episcopo; ne eadem redundent in clericorum, aliarumque personarum gravamen et judiciorum subversionem. Ita etiam pluries declaravit S. C. Episcop. et regular. ut refert Lucius Ferraris *Prompta biblioth.* verbo *Cancellaria* n. 7 et 8. Idipsum ex ejusdem Congreg. sententia refert Fagnanus ad cap. 2. *Quoniam*, n. 23, probatum fuisse a Clemente VIII, 26 aug. 1592, pro toto regno Neapolitano. » (Giraldus, *Exposit. jur. pontif.* part. I, sect. 784.)

Cf. Adnotationem XXV, volum. quinti, pag. 690. Locationem fundorum ecclesiasticorum Paulus II restrinxit ad solum triennium, ut in ejus decretali *Ambitiosæ*, *De rebus Eccl. non alienandis*.

« Nec in praxi admitti videtur, inquit Giraldus, loco cit. sect. 785, quorundam opinio dicitantium hanc Pauli constitutionem prohibere quidem locationem rerum et fundorum ecclesiæ ultra triennium, non tamen fructuum et reddituum ex ipsis provenientium. Locatio enim fructuum fieri ne-